

Post haec ait: «Junge datos currus! his quibus deterreris
me putas, incitor: libet illic stare, ubi ipse sol trepidat.
Humilis et inertis est, tuta sectari: per alta virtus it.»

VI. «Quare tamen bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri?» Ille vero non patitur. Omnia mala ab illis removet, scelera et flagitia, et cogitationes improbas, et avida consilia, et libidinem caecam, et alieno imminentem avaritiam: ipsos tuetur ac vindicat. Numquid hoc quoque a Deo aliquid exigit, ut bonorum virorum etiam sarcinas servet? Remittunt ipsi hanc Deo curam: externa contemnunt. Democritus divitias projectit, onus illas bonae mentis existimans: quid ergo miraris, si id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult sibi accidere? «Filios amittunt viri boni.» Quidni, quum aliquando et ipsi occidunt? «In exsilium mittuntur.» Quidni, quum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquant? «Occiduntur.» Quidni, quum aliquando ipsi sibi manus afferrant? Quare quaedam dura patiuntur? Ut alios pati doceant; nati sunt in exemplar. Puta itaque Deum dicere: «Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi, et animos inanes velut longo fallacique somnio lusi. Auro illos, argento et ebore ornavi: intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurruunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida et sincera felicitas: crusta est, et quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, et ad arbitrium suum ostendi, nitent et imponunt: quum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc appareat, quantum altae ac veræ foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quanto magis versaveritis, et undique inspexeritis, meliora majoraque. Permisi vobis, metuenda contemnere, cupiditates fastidire. Non fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo suo laetus. Intus omne posui bonum: non egere